



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

15. An etiam poſſit Episcopus facultatem absolvendi ex dicto decreto aliis subdelegare? Et quid de absolutione ab hæresi & ab aliis excommunicationibus Papalibus, & casibus reservatis? Et an Episcopus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)



Secundo probatur; quia non apparet sufficiens ratio, seu causa, ob quam Concilium voluerit aded licentiam hanc facultatem dispensandi super irregularitatibus, & suspensionibus; vt per se solum deberet illam exercere; cum sepe expediat, hanc quoque facultatem, sicut illam absoluendi a casibus occultis concedere dicto Confessario, qui possit dispensationis causam melius in conscientia examinare; sepe etiam contingere potest, vt ij, praesertim Sacerdotes, qui indigent huiusmodi dispensatione propter varia impedimenta non possint accedere ad Episcopum, ac proinde consentaneum fuit, vt Episcopi haberent potestatem delegandi dictam facultatem dispensandi. Confirmatur, quia ita probat vsus, & praxis, seu consuetudo, quae est optima legum interpretres.

Et tandem non desinat hic apponere Villalobos in summa tom.1. tract. 21. diffie. 9. n. 13. docere Episcopum posse etiam subdelegare alium ad dispensandum etiam extra Diocesim. Hinc explodendus venit Ricciolus tract. de iure personarum, lib. 5. cap. 16. n. 1. quod velit Episcopum solum per se ipsum, posse dispensare super irregularitate occulta orta ex haeresi, sicut per seipsum solum potest ab eadem haeresi absolueri in tra Tridentinum; hoc tamen non est verum, quia illa verba, per seipsum, apposita secundae parti dicti Decreti Tridentini, vbi agitur de absolutione, non reperiuntur in priori, vbi agitur de dispensatione.

RESOL XV.

An etiam possit Episcopus facultatem absoluendi ex dicto Decreto alius subdelegare?

Et quid de absolutione ab haeresi, & ab aliis excommunicationibus Papalibus, & casibus reueruatis?

Et an Episcopus possit committere Confessario Monasterij, vt Monialem absoluat ab haeresi externa simul? Ex part. 7. tr. 2. Resol. 13.

§. 1. Quae ratio potest esse de absolutione ab haeresi, vel de absolutionibus ab aliis excommunicationibus Papalibus. Quod ad primam difficultatem, negatiue respondet Gutierrez & Suarez vbi supra, Ricciolus de iure personarum, lib. 5. cap. 16. n. 3. Pharaonius in Prompt. tract. 1. sess. 18. cas. 3. 3. Leclercus in summa tom. 2. cap. 6. post. 20. concl. diffie. 6. Callus Palais tomo 1. tract. 4. disp. 1. puncto 3. §. 1. num. 20. Lorca m 2. 2. disp. 45. n. 1. Suarez de fide disp. 21. sect. 4. n. 8. Et ratio, quia expressè Tridentinum concedit hanc facultatem absoluendi ab haeresi solum Episcopo, & non eius Vicario, statuens hanc differentiam inter ceteros casus Papae reueruatos, & haeresim, vt ab illis possit absolueri Episcopus per se, vel per suum Vicarium, ad id specialiter deputandum, ab hac autem solum per se, & non per Vicarium; ibi, eius tantum, non eorum Vicariis sit permissum. Si autem posset Episcopus illam alteri committere, nulla esset differentia inter absolutionem ab haeresi, & ab aliis casibus Papalibus occultis.

2. Sed affirmatiuae sententiae adhaereat Sanctarellus tractat. de Haeresi, cap. 5. dub. 4. num. 18. Fagundes de Praecept. Eccles. Pr. 2. libr. 8. c. 8. n. 36. Sanchez in summa tom. 1. lib. 11. cap. 11. num. 22. cui adde Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 2. Durandum in Bull. Caena, lib. 3. §. 2. quest. 11. num. 34. Fernandez in Examen Theolog. mor. part. 4. cap. 9. n. 1. Vega in summa part. 1. cap. 12. §. cas. 12. & alij.

3. Dico igitur quod Episcopus non potest dare facultatem generalem alicui, vt ab haeresi absoluat, et si occurrat, vt quis incidat in haeresim, potest Episcopus deputare certum confessarium, vt ab

eo peccato illa personam absoluat, & ita est differentia inter haeresim, & alios casus reueruatos, nam in aliis casibus occultis potest Episcopus dare facultatem alicui deputato, vt absoluat, at in peccato haeresis non potest dare hanc facultatem generalem, vt quotiescumque homines aliqui incidunt in haeresim, possit Confessarius illos absolueri, sed quando occurrit casus particularis, potest Episcopus deputare in particulari aliquem, vt ab illo peccato haeresis absoluat. Quare cum Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformatione, dicit, quod in crimine haeresis solum Episcopi possunt absolueri, & non eorum Vicarij, sensus est, Episcopum non posse deputare Vicarium, vt generaliter ab omnibus peccatis haeresis absoluat, non tamen negare, quin possit deputare Vicarium ad specialem casum haeresis.

4. Nec valet dicere quod in cap. ultim. §. fin. de officio delegati dicitur non posse eum, cui est commissum excommunicare, vel absolueri, vel dispensare, concedere aliis hanc potestatem; ergo cum Episcopo sit concessum, vt possit absolueri a peccato haeresis, non poterit aliis id committere. Respondeo, illum textum esse intelligendum, quando alicui conceditur nudum ministerium faciendi aliquid, non autem quando alicui dignitate, vel officio aliquid conceditur in perpetuum, nam in hoc casu censetur esse concessa potestas ordinaria, & non nudum ministerium, vt notant Nauarr. consil. 15. de sententia excommunicationis. Angelus excommunicatio 1. casu primo, num. 39. Sylu. Absolutio 4. question. 2. num. 6. Barr. in l. ambitiosa ff. de decret. ab Ordinis factio, num. 34. Couarr. lib. 3. var. cap. 20. num. 6. initio, & num. 9. & 10. Compendium Mendicantium verbo, Absolutio ordinaria quoad fratres dub. 2. Imola in cap. finali de Officio Ordin. in fine. Felin. in cap. licet de Officio Ordin. num. 4. at Episcopali dignitate in perpetuum est concessa facultas, vt possit absolueri ab haeresi, & ab aliis casibus reueruatis, & dispensare cum suis subditis.

5. Obiicies secundò, à Concilio Tridentino, dum conceditur hae facultas, eligitur industria personae in Episcopali dignitate constitutae, at quando eligitur industria personae, facultas non potest delegari nec in generali, nec in speciali: Ergo Episcopi non possunt concedere alicui personae, vt possit a peccato haeresis absolueri. Respondeo, maiorem esse fallam, nam quando aliquid conceditur superioribus praesentibus & futuris non censetur tunc esse electa industria personae, cum personis incognitis concedatur hae facultas, vt asserit Iason. in l. more, ff. de iurisd. omn. iud. num. 65. at in dicto decreto facultas absoluendi & dispensandi conceditur omnibus Episcopis praesentibus & futuris. Unde vitramque sententiam probabilem esse puto, de qua etiam vide Machadam de Perfecto Confess. tom. 2. lib. 4. tractat. 12. document. 2. num. 3. & Trullench in Decalogum. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 20. vbi rectè docet posse Episcopum committere Confessario Monasterij, vt Monialem absoluat ab Haeresi externa simul: nam etsi teneamus facultatem Episcopis concessam in Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat. esse reuocatum per Bullam Caenae, de quo infra num. seq. poterit tamen id facere ea facultate, qua potest impeditos adire Pontificem absolueri a censuris, in dicta Bulla reueruatis, ex cap. mulieres, & cap. ea noscitur de sent. excomm.

6. Sed quid dicendum de aliis excommunicationibus Papalibus; potest ne Episcopus facultatem absoluendi aliis generaliter committere; Et negatiue respondet Henriquez lib. 6. capit. 14. numer. 7. & in Glossa litera O, & alij: asserunt enim posse tantum Episcopum committere alteri absolutionem

Sup. hoc, quod hic docetur in Res. seq. & lege etiam doctrinam aliarum eius not.

Quamdiu plene sup. hoc lego me supra de Etrina. Res. 4. & in non. 7. tra. Res. 29. in fine. & vel. in verbo.

Sup. hoc, quod hic docetur in Res. seq. & lege etiam doctrinam aliarum eius not.



lutionem ablato casu particulari, non autem generaliter delegando speciali commissione facultatem absolventi in omnibus casibus, quia Concilium expressè concedit Episcopis posse per se dispensare, vel per Vicarium specialiter deputatum; & quia hæc facultas conceditur Episcopis habito respectu ad industriam personam.

7. Sed ne deseras affirmatiuam sententiam tenere, quam tenet Fagundez & Layman *vbi supra* cum Duardo, & Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 23.* & Suarez de *Pœnit. disp. 30. sect. 2. n. 9. in fine.* Probatur hæc opinio, quia in Decreto Concilij non eligitur industria personæ, sed iurisdicctio illa conceditur ratione dignitatis & officij, si enim eligeretur personæ industria, nec generaliter, nec specialiter posset Episcopus delegare; Quoties etiam aliquid conceditur Prælati presentibus, & futuris in perpetuum, non potest dici electam esse industriam personæ, cum personæ incognitæ delegetur, vt tradunt Iason *in l. more maiorum, num. 65. ff. de iurisdi. omnium iudicum.* Gregor. Lopez *l. 47. in fin. tit. 18. parte 3.* Menochius *de arbit. quest. 64. n. 17.* & Sanchez *loco citat. de matrim.* Quare dicta facultas, cum sit ordinaria, vt pote ratione dignitatis, & officij ex iuris privilegio Episcopis competens, poterit speciali commissione alicui generaliter delegari, sicut quælibet alia ordinata potest; ex quibus remanet soluta aduersariæ partis fundamenta.

## RESOL. XVI.

An Episcopus possit committere Confessario Monasterij, vt Moniale absoluat ab hæresi externa.  
Ex part. tract. 4. Misc. Ref. 89.

Sup. hoc in Ref. præcisa §. Obi- cius, prope finem, a vers. vbi recte docet, & lege tam à principio, & vide etiam in rom. 5. tr. 8. doctrinam Ref. 14. & si placet etiam aliarum eius annot.

§. 1. DE hoc casu olim interrogatus fui, & pro affirmatiua sententia adduxi Homobonum *in exam. Eccles. part. 3. tract. 15. cap. 7. q. 20. resol. 2.* vbi sic asserit. Dico Episcopum Confessario illius Monasterij facultatem dare potuisse vt Moniale in peccato hæresis externo actu proditæ absolueret, nam est teneamus facultatem Episcopis concessam à Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 6.* quoad absolutionem ab hæresi esse reuocatam per Bullam Cœnæ, licet multi contrariam sententiam sint amplexi, adhuc tamen fatemur impeditos, quominus Sedem Apostolicam adire possint, per proprium Episcopum à casibus & censuris in dicta Bulla reseruatis absolui posse, ex *cap. mulieres, & cap. ea noscitur, de sentent. excom.* Ita Homobonus, qui pro hac sententia citat nostrum Patrem Duardum.

## RESOL. XVII.

An Episcopus, si incidat in aliquod delictorum, de quibus agitur in dicto Decreto Concilij, possit ab alio dispensari, vel absolui cum potestate ab ipso delegata?

Et an Prælati Religionum possint committere Confessario ab illis electo, vt cum illo dispense in omnibus, in quibus ipsi possunt dispensare cum suis subditis?

Et docetur Confessarium Papa ex communi, & veriori sententia non à iure Diuino, sed ab ipsomet Papa habere iurisdictionem ad illum absoluentem.  
Ex part. 7. tract. 2. Ref. 14.

Sup. hoc in rom. 9. tract.

§. 1. NEGatiuè respondet Alterius *de Conf. tom. 2. disp. 8. cap. 3. concl. 4. vers. tertio quari*

potest. asserit enim non posse Episcopum, cum sit delegatus, facultatem Concilij in dicto cap. 6. quam habet dispensandi, vel absoluenti, alteri committere vt secum dispense.

2. Sed proflus affirmatiua sententia est amplectenda quam tenet Gauantus *in Manual. Episcop. ver. absolutio num. 7.* Alzedus *in Praxi Episcop. part. 2. cap. 6. num. 68.* Thefaurus *in Praxi de Pœnit. part. 1. cap. 24. ver. respondeo tertio.* Floronus *de cas. referu. part. 1. cap. 4. §. 7. num. 14.* Filiucius *tom. 1. tract. 20. cap. 10. num. 272.* Suarez *de Conf. tom. 5. disputat. 41. sect. 2. num. 9.* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 11.* Ludouicus à Cruce *in Bull. Cruc. disputat. 1. cap. 6. dub. 18. n. 1.* Duardus *in Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. quest. 11. num. 29.* & alij. Dico igitur, in nostro casu, posse Episcopum deputare Confessarium, vt secum dispense, & sibi absolutionem impertiatur. Probatur hæc opinio quia ex vigore dicti Decreti Concilij Tridentini referuatio ablata est à prædictis irregularitatibus, suspensionibus, & excommunicationibus occultis, & consequenter respectu Episcopi non censentur amplius casus referuati, sed vt comprehensi sub eligendi Confessarij facultate sibi iure communi *cap. fin. de Pœnitentia, & remis. concessa:* ergo poterit alteri Confessario committere, ipsum eligendo, vt secum dispense, & se absoluat. Confirmatur, quia cum vi dicti decreti possit delegare ad dispensandum cum aliis, & ad alios absoluentes, vt probatum est, cur non poterit committere in ordine ad se ipsum? non enim Prælati debet esse deterioris conditionis, quam subditi, & sic Sacra Congregatio, vt referunt prædicti Doctores declarauit Episcopum posse deputare Confessarium, qui secum dispense in omnibus irregularitatibus occultis, & se absoluat ab omnibus casibus, in quibus, & a quibus ipsi dispensare, & absolere possunt suos subditos.

3. Neque repugnat quempiam huiusmodi iurisdictionem in semetipsum exercere etiam in absolutione Sacramentali committendo Confessario, vt ipsum Prælatum absoluat, à quo absoluenti iurisdictionem habet, vt constat ex communi, & veriori sententia, asserente Confessarium Papæ non iure Diuino, sed ab ipsomet Papa habere iurisdictionem ad illum absoluentem. Ergo, &c.

4. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos docet Sanctarellus *tractat. de Hæresi cap. 5. dub. 3. num. 16.* Et ideo Prælati Religionum possunt committere Confessario ab illis electo, vt cum illis dispense in omnibus; in quibus ipsi possunt dispensare cum suis subditis, vt obseruat Emanuel Sà *ver. Confessar. num. 16.* Sanchez *de Matrimonio lib. 8. disp. 3. n. 3.* & alij.

5. Vnde omnia supradicta confirmat Amicus nouissimè *tom. 5. de Iust. disp. 6. sect. 3. num. 50.* vbi docet, in omnibus casibus occultis in quibus iuxta Concilium *sess. 24. cap. 6.* poterit Episcopus cum suis subditis dispensare, posse & cum se ipso, vel per se ipsum immediate, vt in casibus qui iure Diuino non requirunt distinctionem personarum, vel saltem per suum Confessarium, vt in casibus qui per distinctionem personarum exigunt.

## RESOL. XVIII.

An Episcopus habens potestatem dispensandi cum aliis possit secum dispensare?

Et quid de absolutione excommunicationis suspensionis, interdicti, &c. & dispensatione super irregularitate, vel qualibet alia inhabilitate? Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4. Ref. 66. alias 64.